



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. Vltima, De definitione differentiæ secundo intentionaliter, seu
Logicè sumptæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Sed contra, quia falsum est quod debeamus in definitionibus, quæ sunt etiam per accidentia, ponere plura accidentia, quorum quodlibet seorsim sumptum nõ sit conuertibile; nam quando definimus hominem per discursum, qui est accidens ipsi, illud vnum accidens est conuertibile cum ipso: neque enim vllus discursus secundum Thomistas conuenit vlli alij speciei quam homini; neque discursus cum dependentia ad phantasmata conuenit vlli alij, etiam in sententia Scotistarum.

Respondetur ergo melius, Philosophum intelligendum non vniuersaliter de omnibus definitionibus, sed de definitionibus rerum, quatum non cognoscimus differentias simplices conuertibiles cum illis, vnde nego consequentiam.

Ceteræ obiectiones, quæ ex Auerſa proponi possent contra differentias simplices conuertibiles, solum probant secundam conclusionem; nec est opus propterea hic eas sigillatim exprimere & soluere.

An differentia sit perfectior genere.

55. *Quæres*, an differentia sit perfectior genere. *Respondetur breuiter*, si consideretur differentia, vt est actus & completus, & genus, quatenus est quid potentiale, differentiam esse perfectiorem, quia vniuersaliter perfectiorem, vt tale, est perfectius perfectibili, quæ tale; si verò consideretur genus vt aliquid per se potens subsistere independentem à differentia, & differentia, vt impotens subsistere independentem à differentia, & differentia, vt impotens subsistere absque genere, sub hac consideratione genus est perfectius. Quod si detur aliqua differentia, cui per se soli competit formaliter aliqua operatio, quæ perfectior sit quam operatio illa, quæ soli generi conuenit, differentia erit perfectior sub hac ratione; verbi gratia si discurrere competit præcise rationalitati hominis ita, vt per se non requiratur animalitatem, tanquam principium formale partiale, aut totale, quæ quidem discurrere sit perfectior operatio quam vlla, quæ conuenit soli animalitati, ideo rationalitas simpliciter est præferenda animalitati, licet secundum aliquas alias considerationes possit dici imperfectior.

Differentia vltima non conuenit in aliqua ratione differentie vltima.

Quæres secundo, an differentia vltima conueniant in aliqua ratione communi abstracta, quæ sit differentia vltima. Et dico notanter, quæ sit differentia vltima, quia an conueniant in ratione entis, eamque includant formaliter, est alia quæstio, quam tractabo in Metaphysica. An verò includant differentias superiores, resolutum est supra: vnde difficultas sola manet, an conueniant in aliqua ratione communi, quæ sit differentia vltima. Ad quam breuiter

Respondetur negativè cum communi Scotistarum. *Primo*, quia sequeretur quod illa ratio differentia, vt sic non esset differentia vltima, quandoquidem contraheretur differentia vltima vt sic ad esse talis differentia vltima: hoc autem implicat in adiecto. *Secundo*: quia daretur processus in infinitum; nam quia ratione rationalitas & brutalitas, v.g. conuenirent in ratione differentie vltima vt sic, etiam differentia illa, quibus contraheretur differentia vlt. vt sic ad illas, deberent conuenire in alia aliqua ratione, & discouenire in aliis, & sic in infinitum. *Tertio*, quia reperitur differentia vltima in omnibus prædicamentis: sed prædicamenta non conueniunt in vlla ratione, nisi in transcendentes formalitatibus, nullæ autem formalitates transcendentes possunt esse differentia, vt patet. *Quarto*, quia ipsæmet rationalitates omnes non conueniunt in aliqua vna ratione abstracta ab illis, sicut nec humanitates omnes: sed minus possunt omnes differentia vlt. conuenire, quam rationalitates omnes. Omitto alias rationes, quia hæc abudè sufficiunt.

Fundamentum oppositæ sententiæ est quod omnes differentia vlt. conueniant in vno cõceptu, & descriptione, & quod inter se maior similitudinem habeant, quæ cū alijs rebus, aut formalitatibus; & præterea, quod intellectus possit esse certus de aliquo quod sit differentia vltima, & incertus an hæc, vel illa. Sed ad hæc omnia patet responsio ex dictis supra de indiuiduo num. 18. & ex dicendis in Metaphysica in quæstione de præcisione entis.

Aduertendum solum hanc resolutionem currere non

solum de differentia simpliciter vltima, qualis est indiuidualis, nec de differentia vltima specifica, qualis supponitur esse rationalitas respectu hominis: sed de differentia vlt. cuiuscumque gradus generici seu speciei positi directe in quocumque prædicamento; quia propterea est eadem ratio de omnibus, vt consideranti patet. Possunt tamen differentia non vltima conuenire in vna aliqua ratione abstracta, vt v.g. aggregatum ex sensitiuitate & rationalitate in homine, & aggregatum ex sensitiuitate & brutalitate in bruto, ac alijs similibus, à quibus potest abstrahi conceptus sensitiuitatis, quod adeo manifestum est, vt non indigeat probatione.

QVÆSTIO VLTIMA.

De definitione differentie secundo intensionaliter, seu logicè sumptæ.

56. *Definitio*, quæ Porphyrius assignauit differentia hoc modo acceptæ est, quod sit illud, quod de pluribus differentibus specie in quale quid prædicari potest: de qua definitione cõtrouertitur, sit ne bona, necne. Certum autem est quod differentia bene dicatur prædicari de pluribus, quia in hoc conuenit cū omnibus vniuersalibus, vnde est genus huius definitionis, cetera sunt vt differentia eius; & per hoc quod dicitur prædicari in quale, distinguitur à genere & specie, quæ prædicantur in quid: per hoc autem quod dicitur prædicari in quale quia, hoc est per modum partis essentialis determinatiui, distinguitur à proprio, & accidente, quæ quid prædicantur in quale, sed nõ in quale quid, quia nõ prædicantur essentialiter: & licet accidentia dicantur prædicari in quale quid à Porphyrio; tamen nõ intelligit hoc de prædicari in quale quid, hoc est essentialiter, sicut intelligit in hac definitione.

57. Tota ergo difficultas reducitur ad illa particulam *specie differentibus*: & ratio difficultatis est primo quod videatur superflue; quia eo ipso, quo diceretur differentia prædicari de pluribus in quale quid, sufficienter declararetur natura eius, vt patet ex iam dictis; secundo, quia illa particula facit vt definitio non conueniat omni differentia, quia non infima, quandoquidem hæc de solis numero differentibus sit prædicabilis.

Prima sententia est illam definitionem esse bonam: ita *Albertus tract. 5. prædic. c. 6. Caiet. & Scotus hic*, quos alij Thomistæ sequuntur, & nominatim *Ioannes a S. Thomas*, quorum fundamentum potissimum consistere videtur in autoritate *Porphyrii*, cuius doctrina quantum fieri potest cõmode defendi debet, præsertim quantum ad ea, quæ tractat in hoc opusculo, & præterea in solutionibus, quas dant ad difficultates oppositas, quas infra proponemus.

Secunda sententia communissima inter Dialecticos est, illam definitionem non esse bonam, respectu omnis differentia, sed solum respectu differentiarum subalternarum. Hanc tenet *Dolet q. 27. vniuers.* cum suis omnibus, *D. Th. lib. de demonstratione c. 14.* etiam cum suis pro maiori parte, quos sequuntur recentiores, & nominatim *Comptineses hic quæst. 1. Auerſa sect. 2.*

CONCLUSIO.

58. *Prædicta definitio non est bona definitio differentia et sic communis omni differentia.* Hæc est cum secunda sententia contra primam, & patet ex rationibus dubitandi propositis, quia scilicet superfluit illa particula *differentibus specie*, & quia non conuenit omni differentia, neque enim conuenit infima.

Ad primam ex his rationibus non respondent aduersarij. *Ad secundam* autem varias adhibent responsiones. *Albertus* dicit definiri hic differentiam vt differentiam, ad quam per accidens est quod aliqua differentia non possit prædicari de pluribus speciebus.

Contra, quia si sit de ratione differentia vt sic prædicari posse de pluribus specie distinctis, nõ potest nec per accidens cõpetere vlli differentia quod nõ possit prædicari de pluribus specie, sed debet necessario competere omni differentia quod possit prædicari de pluribus speciebus, sicut debet necessario competere omni animali quod sit sensitiuum ex eo quod sit de ratione animalis vt sic.

Confirmatur, quia ideo colligitur quod natura humana nõ sit genus, quia nõ est prædicabilis de pluribus differentibus

Definitio Porphyriana differentia non est bona.

rentibus specie, & quia de ratione generis est sic posse prædicari: ergo debet colligi quod differentia specifica non sit differentia, si differentia sit prædicabilis de pluribus specie, & differentia specifica non sit sic prædicabilis.

Et si dicas, quod per accidens sit quod non sit sic prædicabilis, & consequenter quod ex se sit differentia; Similiter posset dici quod per accidens sit naturam humanam non posse prædicari de pluribus speciebus, & consequenter quod possit habere rationem generis.

59. *Alij dicunt* subintelligendum esse in illa definitione vel numero, & sic eam esse bonam, & conuenire omni differentia.

Contra primò, quia sic, qui definiret hominem, dicendo quod esset animal, posset dici bene definire ipsum, addendo quod subintelligendum esset rationale.

Contra secundò, quia tam notabilis pars definitionis debet exprimi, & aliàs committeretur magnus defectus.

Contra tertio, quia quamuis expresse poneretur illa particula in definitione dicendo, quod differentia esset, quæ esset prædicabilis in quale de pluribus specie, vel numero differentibus, adhuc definitio non esset bona: ergo multo minus erit bona, quæ subintelligeretur illa particula. Cõsequẽtia est euidens: probatur antecedẽs, tũ quia vniuersaliter definitiones disiunctiue non sunt bonæ, tum quia aliàs posset quis dicere quod genus definiretur bene esse illud, quod esset prædicabile in quid de pluribus specie vel num. differentibus, & homo posset dici bene definiti esse animal rationale, vel irrationale.

Posset tamen ad hoc responderi, quod intelligatur illa definitio sic, vt sensus sit quod differentia sit illud, quod prædicatur de pluribus in quale quid, siue illa plura distinguantur specie, siue numero, ita vt quidquid prædicetur in quale de pluribus specie differentibus sit differentia, & quidquid prædicetur de pluribus numero differentibus in quale quid, sit etiam differentia. In hoc autem sensu prædictæ instantiæ non militant cõtra definitionem, quia quædo definiretur homo esse animal rationale vel irrationale, non esset sensus quod omne animal tam rationale quam irrationale esset homo: & idem est de genere quædo definiretur esse, quod esset prædicabile de pluribus specie vel numero differentibus, nõ esset sensus, quod quidquid prædicaretur de numero differentibus & de specie differentibus esset genus. Fateor hoc modo posse euadi hæc tertiã impugnationem, sed adhuc vigent ceteræ impugnationes; & præterea definitio esset valde æquiuoca, si esset talis, quia licet posset illo modo explicari, posset etiam alio modo disiunctiue.

60. *Alij dicunt* differentiam infimam etiam prædicari de pluribus specie differentibus, non quidem inter se, sed ab alijs speciebus, verbi gratia rationale prædicatur de Petro & Paulo, quæ licet inter se specie non differant, differunt tamen specie à Bucephalo & alijs brutis.

Contra: quia sic posset bene definiti species esse prædicabilis de pluribus specie differentibus, vt patet, quod tamẽ est absurdum. Deinde certum est quod plura illa, de quibus prædicabilia dicuntur prædicari, cõparentur ad se inuicẽ, dũ dicuntur numero, aut specie differre: sic enim animal dicitur prædicari de pluribus specie inter se differentibus, v.g. de homine & bruto; sic etiã homo dicitur prædicari de pluribus num. differentibus inter se, vt de Petro & Paulo, ergo illa expositio est torta ac mala.

Caletanus explicat illam particulam *de differentibus specie* non positue & formaliter, quasi omnis differentia deberet esse reuera prædicabilis de pluribus specie differentibus, quia esset falsum, vt conuincit instantia illa de differentia infima: sed negatiue & per non repugnantiam, ita scilicet vt omnis differentia sit ex se sic prædicabilis, quantum ad hoc, quod non repugnat ipsi ex ratione sua formali esse sic prædicabilis; sed si à parte rei id ipsi repugnet, hoc oriatur ex ratione constituti per ipsam, non ratione ipsiusmet differentia formaliter.

61. *Hæc explicatio* rejicitur communiter, & sane merito, plura enim contra eam faciunt. *Primò* quod falsum sit non repugnare differentia infima, vt talis est, sic prædicari: tam enim ipsi vt sic id repugnat, quæ repu-

gnat differentia subalternam esse prædicabilem de pluribus numero tantum differentibus; neque verum est quod illa repugnantia oriatur ex ratione constituti per differentiam; verbi gratia repugnantia, quæ est in rationali, ad hoc vt prædicetur de pluribus specie differentibus, non oritur ex eo quod homini constituto per ipsam id repugnet, sed potius ex ipsamet ratione differentia: nam ideo homini repugnat sic posse prædicari, quia includit talem differentiam tanquam constitutum, unde si rationalitas esset prædicabilis de pluribus differentibus specie, sicut sensitiuitas est, profectò homo constitutus per rationalitatem esset etiam sic prædicabilis non minus, quàm animal constitutus per sensitiuitatem.

Secundò: vel intelligit, quod id non repugnet differentia omni, quæ differentia vt sic, vel quæ talis differentia, si hoc secundum, falsum ex terminis; si primum, verum quidem est, sed non inde sequitur bonam esse definitionem: quia licet non repugnet vlli animali esse rationale, tamen male describeretur animal esse sensitiuum rationale quia aliquod animal est irrationale, cui repugnat, non quidem est ratione animalis vt sic, sed ex ratione particulari talis animalis, esse quod rationale; ergo si alicui differentia repugnet ex ratione sua particulari esse prædicabile de multis, quamuis id ipsi nõ repugnet ex ratione differentia vt sic, male describitur differentia vt sic communis omni differentia esse sic prædicabilis.

62. *Confirmatur*: male describeretur differentia esse prædicabilis de numero tantum differentibus, quia datur differentia subalternæ, de quibus id verificari nequit, quamuis id ipsi non repugnet ex ratione differentia vt sic; ergo male describitur esse prædicabilis de pluribus specie differentibus, quia id repugnat differentia infimis, quæ talibus, licet ipsi non repugnet ex ratione differentia vt sic. Et sane tã bene posset dici quod prædicabilitas de specie differentibus non conueniat differentiis subalternis ex ratione sua formali, sed ex ratione constituti per illam, quàm quod repugnantia ad talem prædicationem competat differentia infima ex ratione constituti per ipsam & non ex ratione formali.

63. *Ioannes à Sancto Thoma quæst. 10. artic. 2. emolliẽdam* putat explicationem Caletani, & inhærendo litteræ Porphyrij aduertit illum in definitione differentia dixisse differentiam esse, quæ prædicatur de pluribus & specie differentibus, vbi ponderat particulam *et*, quæ putat data opera additam, vt significaretur, quod differentia sit prædicabilis de pluribus, & præterea de specie differentibus; si enim hoc non denotaret illa particula, frustra poneretur. Itaque concludit definitionem sic intellectam, quatenus dicitur in ea, quod differentia sit prædicabilis de pluribus in quale quid, bene explicare naturam omnis differentia, tam infimam quam subalternam; quatenus verò additur præterea, *et specie differentibus*, non declarare eam naturam omnis differentia; sed solius subalternæ. Sensus ergo definitionis est secundum hunc authorem, quod differentia sit, quæ prædicatur in quale quid de pluribus, etiam illa plura sint distincta specie, & iuxta hoc intelligendo mentem Caletani dicit eum plurimum subtilitatis habere.

64. *Sed imprimis* manifeste patet Caletanum non habuisse mentem, quæ sic explicari possit: quid enim habet connexionis, quod differentia sit prædicabilis de pluribus, etiam si sint distinctæ speciei, cum hoc quod omni differentia competat sic prædicari quantum ad non repugnantiam?

Dein cõtra ipsamet explicationem facit *primò*, quod sit præter mentem Porphyrij, qui solũ voluit definire differentias subalternas, vt communius tenetur. *Secundò*, si per primam partem definiuit sufficienter omnẽ differentiam, vt fateatur hic author, frustra addidit secundam partem, quæ cõperet solis subalternis, & æque deberet addere alias particulas, quæ solis infimis competebat, modo putaret tales dari, neque enim potius incùbebat ipsi subalternas quæ infimas particulariter describere.

Nec placet quod idem author dicit fuisse necessariũ adiungere illam particulam, vt ostenderetur quod differentia

rentiæ subalternæ seu genericæ sint veræ differentiæ. Nam id constabat manifeste per hoc, quod prædicetur per modum determinantis & æquantis: & sicut cognoscitur differentia infima esse differentia, quia sic prædicatur, quamvis non addebatur in descriptione præmissa quod differentia etiam prædicetur de pluribus differentiis numero; ita cognoscetur idem de differentia subalternâ, quamvis non adderetur illa particula.

65. *Tertio*: si quis definiret animal esse viuens sensitivum, etiam si illud sensitivum esset rationale, male sine dubio definirer ipsi, quia impertinenter adderetur ultima particula, tunc quia sine illa esset sufficienter descriptum per reliquâ partem: tunc quia non potius deberet illa particula addi quâ altera, nimirum etiam si illud sensitivum esset irrationale; ergo male describitur à pari differentia esse prædicabile in quale quid de pluribus, etiam si illa plura sint distincta specie; tunc quia sufficienter describebatur sine ultima particula, tunc quia illa non potius adhiberi debuit quam altera, nimirum etiam si illa plura sint distincta numero.

Quarto impugnatur, quia ly & licet quandoque significet idem quod etiam, nunquam tamen significat idem quod etiam si: sed significando etiam, prædicta definitio est manifeste mala, neque enim verum est quod differentia infima sit prædicabilis de pluribus, etiam specie differentiis.

Confirmatur hoc: illa definitio non est bona, quæ non potest vere & utiliter prædicari de quocumque contento sub definito: sed de differentia infima non potest vere prædicari quod sit prædicabilis de pluribus etiam specie differentiis, ut patet, nec potest de ea utiliter prædicari quod sit prædicabilis de pluribus, etiam si specie differant, imo eo ipso quo sic esset prædicabilis, amitteret rationem differentia infima: ergo quomodocumque intelligatur ly &, descriptio prædicta non erit bona & adæquata omni differentie.

Et si quæras, cur addebatur? *Respondetur* ad denotandum quod illa plura, de quibus esset prædicabilis differentia ibi descripta, essent distinctæ species, satis enim eleganter additur ly & pro quidem, ita ut sensus illius definitionis sit quod differentia sit prædicabilis de pluribus, & quidem talibus quæ differant specie, nec aliud denotat ly & in prædicta definitione, nec addebatur ad necessitatem sensus, sed potius ad elegantiam modi loquendi.

66. *Obiicies*: sic intellecta definitio esset mala: sed hoc præiudicat authoritati Porphyrii, quæ quam commode fieri potest, sed in hoc tractatu conferenda.

Respondetur concedendo maiorem, si intelligatur differentia ut sic, aut omnis differentia definiri; negando vero illam, si dicatur solum definiri differentia subalternâ. Ad minorem dico non posse commode explicari definitionem sic, ut conveniat omni differentia, & si omnem voluit, aut debuit definire Porphyrius, non satisfacit suo muneri, nec est necesse eius auctoritatem tantopere defendere, ut non dicatur in aliquo defecisse, quod si voluit solas subalternas definire, non est contra auctoritatem ipsius, imo est pro illa, quod prædicta definitio non competat infimis. Valde autem verisimile est quod solas subalternas definire voluerit, quia verisimile est fuisse illum in eorum sententia, qui negabant dari infimas incompletas & simplices, conformiter ad quam doctrinam optima esset prædicta descriptio.

CONCLUSIO II.

67. *Bene definitur differentia ut sic esse, quæ prædicatur de pluribus in quale quid; & differentia infima esse, quæ sic prædicatur de pluribus differentiis numero tantum; & differentia subalternâ, quæ sic prædicatur de pluribus differentiis specie.* Hæc est communis cum secunda sententia, nec credo negari posse ab authoribus primæ sententiæ.

Pater autem, quia prædictæ definitiones seu descriptiones conveniunt omnibus, & solis absque obscuritate aut superfluitate, nec aliquid opponi potest vilius momenti. An autem differentia infima & subalternâ sint distinctæ species prædicabilia, diximus sensum nostrum supra disp. 4. num. 111.

68. *Obiicies*: Differentia nequit definiti: ergo non bene definitur prædicto modo. Probatur antecedens, quia quod definitur, debet constare genere & differentia: differentia

nequit constare genere & differentia, quia aliàs daretur processus in infinitum; nam qua ratione una differentia constaret genere, & differentia, illa differentia, qua constaret, deberet vicissim constare alia differentia, & illa alia altera, & sic in infinitum.

Respondetur ad hoc communiter negando antecedens, & distinguendo minorem probationis: differentia primò intentionaliter, conceditur, secundo intentionaliter, negatur: hic autem diffinitur differentia secundo intentionaliter non primò intentionaliter.

Contra, quia quamvis non definiatur aut describatur hac definitione differentia primò intentionaliter accepta, definita tamen est aut descripta supra, & potest sine dubio describi: ergo salvandum est, quomodo possit definiti, vel quomodo possit constare alia differentia.

69. *Respondetur ergo aliter* etiam negando antecedens, loquendo de quacumque differentia, siue primo siue secundo intentionaliter accepta, omnis enim differentia potest definiti aut describi. Et si dicatur, quod differentia primò intentionaliter non possit proprie definiti, licet possit aliquo modo describi, pariter posset dici idem de differentia secundo intentionaliter accepta. Ad probationem autem dico, quod differentia ut sic, quæ per se primò hic definitur, constet alia differentia particulari, nimirum formalitate illa, secundum quam competit ipsi esse prædicabile in quale quid de pluribus illa autem alia differentia particularis est irresolubilis in plures conceptus, sicut rationalitas, & est differentia, non tamen illa, quæ hic per se primò definitur, sed individuum, vel species eius, nec debet constare alia differentia, sed se ipsa differt ab omnibus, sicut rationalitas.

DISPUTATIO VIII.

DE PROPRIO.

MT exactius declararet Porphyrius, Proprii, quod est quantum prædicabile, naturam, quatuor eius acceptationes proponit. Dicit ergo quod capiatur *Primo* pro eo, quod solis individuis vnius speciei convenit, licet non omnibus, ut esse medicum convenit hominibus. *Secundo* pro eo, quod omnibus individuis vnius speciei competit, sed non solis, ut esse bipedem, quod omnibus hominibus connaturaliter, & si sunt in statu suo completo integraliter, convenit, sed non solis, quandoquidem conveniat etiam aubus. *Tertio*, pro eo, quod omnibus & solis individuis vnius speciei convenit, sed non semper, ut ridere; nullus est enim hominum, qui non aliquando rideat si vivat præsertim longo tempore in conversatione & connaturali suo statu; & nullus homo semper ridet, nec aliquid aliud individuum vilius alterius speciei proprie ridet, licet prout dicatur metaphorice & improprie ridere. *Quarto* pro eo, quod omnibus & solis vnius speciei individuis, & etiam semper convenit, ut esse risibile competit hominibus.

QVÆSTIO I.

Quodnam Proprium est quantum prædicabile.

2. **E**X quatuor Propriis, quæ proposuit Porphyrius, quæritur hic quodnam ad quantum prædicabile spectat. Circa quod *Louanienses, Conimbricenses, Canterus, Murcia, Hurtadus* hic existimant, omnia prædicta quatuor propria esse spectantia ad quantum prædicabile; *Fonseca* 3: *Met. cap. 28.* putat secundum & quantum ad illud pertinere; alii tertium & quantum.

Communior vero sententia cum *Auerro, Occamo, Caetano, Soto, Tolet, Aversa, & Complutensibus* hic tenet, solum proprium quarto modo esse quantum prædicabile; reliqua verò propria vere pertinere ad Accidens, quod est quantum prædicabile.

CONCLUSIO.

3. *Solum Proprium quarto modo est quantum prædicabile.* Hæc est communior, & probatur, quia solum

Respon-
sio
communis

Definitio
bona differ-
rentiæ ut
sic.

Solum Pro-
prium quarto
modo
est quantum
prædicabile.